



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 5. De Symbolo S. Athanasii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. II.

De Hymno.

I. **H**ymnus *Iam lucis* semper dicitur, excepto triduo ultimo Sacrae Hebdomadae, & Octava Paschae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in §. 20. Rubricarum dicitur.

§. III.

De Antiphona.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs sumitur ex Psalterio; in Festis verò prima ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi propria in Officio de Tempore, aut Proprio Sanctorum assignetur. Per Octavam Paschae Antiphona *Hac dies*, sicut in alijs horis, loco consuetae Antiphonae recitatur, non tamen inchoatur ante Psalmos.

II. Nunquam omittitur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

III. Ab initio nunquam dicitur integra, sed tantum in fine ultimi Psalmi; & tunc tempore Paschali Alleluja additur.

§. IV.

De Psalmis.

I. **I**N Dominicis, Ferijs, & Simplicibus Vigilijs semper dicuntur quatuor Psalmi, & secundo loco inferitur Psalmus, qui in Psalterio ponitur, excepto tempore Paschali, ubi tres tantum Psalmi *DEVS in nomine, Beati, Retribue* dicuntur.

II. In Festis Duplicibus, Semiduplicibus, Simplicibus, & B. M A R I A E in Sabbato, etiam tantum iidem tres Psalmi recitantur, qui semper clauduntur per *Gloria Patri*, excepto Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

§. V.

De Symbolo S. Athanasij.

I. **D**icitur tantum in Dominica Trinitatis, & quoties de Dominica dicitur Officium ut in Psalterio. Hinc neque in Dominicis infra Octavam Nativitatis Christi, Epiphaniae, Corporis Christi, Ascensionis, nec in Dominicis

Paschatis & Pentecostes dicitur, quia hæc omnia Officia non sunt propriè Dominicalia, prout in Psalterio pro Dominicis assignatur Officium.

II. Quòd autè in Dominica Trinitatis, in qua pariter non dicitur Officium, prout est in Psalterio, dicatur Symbolum, specialis est ratio; cum enim in hoc Symbolo clarissima & distinctissima fiat explicatio, & Confessio totius Mysterii SS. Trinitatis, meritò quoque, si unquam in anno, debebat hæc confessio in hoc Festo fieri. An verò, si alicubi hoc festum Titulare est, debeat hoc Symbolum per totam Octavam recitari, non conveniunt Authores. P. Theophilus Raynaudus in Heteroclytis Spiritualibus p. 1. fol. 16. contendit, per totam Octavam quotidie recitandum; eò quòd Officium per totam Octavam celebrandum sit, ut in ipso Festo; nec Symbolum in hoc Festo dicatur ratione Dominicæ, utpote de qua non fit Officium. Et ita Lugduni, ubi Societas JESU Templum SS. Trinitati dedicatum habet, de facto practicari docet. Gavantus tamen *sect. 5. c. 20. n. 4.* putat, hoc Symbolum soli Dominicæ convenire, atque adeò in tali casu non nisi in ipso Festo, & die Octava (quæ eundem cum Festo Ritum, licet non eandem classem, habere debet) dicendum, uti de facto in aliquibus locis practicatur, saltem quoad ipsum Festum. Et hæc sententia mihi quoque probabilior videretur, cum planè in tali casu Symbolum ipsi duntaxat Festo ratione Mysterii concessum videatur, quemadmodum de facto in Festo Epiphaniæ omittitur ratione Mysterij Invitatorium cum Psalmo *Venite*, quod tamen per totam reliquam Octavam deinceps dicitur; quâ sanè instantiâ, & exemplo persuadeor, ut neque cum P. Raynaudo per totam Octavam, neque cum Gavanto in die Octava, sed in solo Festo dicendum putem; suadeam tamen interea, ut suæ quisque Diœcesis, aut Ecclesiæ consuetudinem servet.

§. VI.

De Capitulo.

I. **C**apitulum *Regi saeculorum* dicitur in omnibus Dominicis, Festis, & diebus infra Octavam occurrentibus, & toto tempore Paschali, exceptâ ipsâ Octavâ Paschatis usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Ca-